Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38279
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



76

malignus. tamen iam ista minora conclude.,
Quis fecit haec non mouebitur in aeternum.
id est puenit ad illam maiora in quib: est magna et inconcussa stabilitas. nam et ipsa tempora non sine causa fortasse sic uariata sunt ut in superiore conclusione praeteritum tempus poneretur. In hac autem futurum nam ibi dictum est. Ad nihilum deductus est. in conspectu eius malignus hic autem non mouebitur in aeternum.

Explicit psalmus XIIII. Incipit psalmus XV.

TITULI INSCRIPTIO IPSI DAUID.

Rex enim in hoc psalmo loquitur ex persona susceptionis humanae. de quo titulus regalis tempore passionis inscriptus seminuit. dicit autem haec.
Conseruame domine quoniam in te speraui. dixi domino deus meus es tu quoniam bonorum meorum non indiges. Quoniam bonis meis non expectas tu fieri beatus.
Sanctis qui sunt in terra eius. sanctis qui sunt in terra uiuentium spem suam posuerunt ciuitatis hierusalem caelestis. quorum conuersatio spiritalis. panem spei in illa patria significatur quae et terra dicitur nominatur. Quamuis adhuc [illegible] in hac terra in carne uersentur. mirificauit omnes uoluntates meas in illis. Hi ergo sanctis mirificauit omnes uoluntates meas in pectore eorum quo senserunt quidem spiritu et humanitatis meae diuinitatis ut morerer et diuinitas humanitatis ut surgerem.
Multiplicatae sunt infirmitates eorum. multiplicatae sunt infirmitates eorum. non ad pruriem. sed ut medicum desiderarent postea accelerauerunt. Itaque post multiplicatas infirmitates accelerauerunt ut sanarentur.
Non congregabo conuenticula eorum de sanguinib: erunt ergo conuenticula eorum non carnalia nec de sanguinib: peccatorum. propitiatus congregabo eos. Nec memor ero nominum illorum per labia mea.
sed spiritali mutatione obliuiscentur quid fuerint. nec amauit peccatores uel inimici. uel homines. sed iustitiae fuerunt sine et filiae uocabuntur. pro pace mea.
Dominus pars hereditatis meae. et calicis mei. possidebunt denum. mecum hereditatem ipsum dominum eligant sibi alii partes quib: fruantur terrenas et temporales portiones eorum domus est. bibant alii mortifera uoluptates. Portio calicis mei dominus est. quod dicit omnes adiungo ecclesiam quia ubi caput ibi et corpus. Nam in hereditate congregabo conuenticula eorum. et pocula eorum ebriatae obliuiscar nominum eorum.
Tu es qui restituis mihi hereditatem meam. Ut notaret et his quos libero claritatis quae erat apud te. prius quam mundus fieret. Non enim restituis mihi quod non amisi. sed restituis his qui amiserunt eius claritatis notitiam in quib: qui ego sum mihi restituis.
Funes ceciderunt mihi.